



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 90. Ordo sedendi decretus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

§. XC.

*Ordo sedendi decretus.*

Sæcul. XV.

A. C. 1438.

Hac tamen quæstione ex utriusque partis voto composita, inter eos convenit, ut summo Pontifici in elevata magis cathedra prima sedes ex latere dextro cederetur, & infra ipsum uno fere passu sedes Imperatoris Latinorum vacua posueretur, prope illam vero Cardinales, Archiepiscopi, & Occidentis Episcopi sederent. Imperator Græcorum e regione solii, quod pro Imperatore Romano erigeretur, suum thronum occuparet: ac post illum Constantinopoli Patriarchæ cathedra, demum ceterorum, qui Patriarcharum Vicarii erant, ac postremo Archiepiscoporum, & Episcoporum sedes ordine suo disponerentur, Demetrio Despota Imperatoris fratre penes ipsum sedente. Cum Altare majus in Ecclesia Sancto Georgio sacra, in qua Synodus celebrabatur, Orientem respiceret, cornu dextrum Evangelii, ut vocant, septentrionem spectabat; hanc ergo partem Pontifex cum Latinis, sinistram vero Græci versus medium occupabant, Evangelii libro in medio Ecclesiæ ante Altare collocato.

Igitur sedium ordine ita stabilito, Papa Eugenius pontificali amictu insignis Att. Justin. in hist. Conc. Flor. tom. 12. Cont. thronum suum conscendit: Cardinales vero sedes suas tenuerunt proxime post Lati-

tini

Sæcul. XV.

A.C. 1438.

tini Imperatoris solium, quod quidem erat; ob ejus tamen absentiam semper vacuum remansit. Cardinali primo Patriarcha Hierosolymitanus ritus latini ultimo autem Aquilejensis Patriarcha successit, Archiepiscopo & ceteris Episcopis secundum sedium suarum antiquitatem, ac ordinationum tempora colloctis. Denique Abbates, Ordinum Generales, Doctores, ac reliqui Ecclesiastici in navi inferioris Ecclesiae considebant, superiori parte a Protonotariis Apostolicis, aliisque Curiæ officialibus occupata. Advocati Consistoriales super gradus summi Altaris, & Clerici Cameræ unacum Auditoribus in plano ante Pontificis pedes collocabantur, Principum vero, & Rerum publicarum Oratores, Duces, Marchiones, & ceteri primariæ Nobilitatis Viri ante thronos Papæ, & Romani Imperatoris federunt.

Absoluto solemni sacro de Spiritu Sancto, & sacrificio a Prælatis Græcis suo privatim peracto, Imperator Græcorum cum suis Præfulibus Ecclesiam ingrediebatur, & toto coetu in signum Venerationis assurgente, cuncti ex meridionali latere assignatos pro dignitate sedilium ordines occupabant. Demetrius Despota ad dextram Imperatoris Germani sui humiliorem & a folio Imperiali uno palmo remotam sedem habebat,

EUC  
ad  
qui  
rat  
tali  
mi  
Me  
Gr  
ri  
tio  
Ep  
ch  
po  
no  
ac  
vit  
&  
ci  
Sa  
me  
ne  
se  
lit  
ph  
M  
ty  
cu  
pl  
tu  
se  
ti  
ft  
fa

ad lœvam vero Patriarchæ Cathedram, Sæcul. XV.  
 qui aduersa valetudine præpeditus abe- A. C. 1438.  
 rat. E latere sinistro fuere trium Orien-  
 talium Patriarcharum Vicarii, scilicet, no-  
 mine Philothei Alexandrini, Antonius  
 Metropolita Heracleensis in Thracia, &  
 Gregorius Protosyncellus, qui Imperato-  
 ri a confessionibus erat; Dorothei An-  
 tiocheni locum subibat Marcus Eugenius  
 Ephesiorum Episcopus, quem Patriar-  
 cha iste adjunxerat Isidoro Russiæ Metro-  
 politæ, cujus sedes vacans erat, eoquod  
 nonnisi in mense Augusto ad Synodum  
 accessisset cum nonnullis Prælatis Mosco-  
 vitis, ac ducentorum Equitum comitatu;  
 & denique Patriarchæ Jerosolymitani di-  
 ci Joachimi vices agebant Dynoïsius  
 Sardium Metropolita, paulopost Ferrariæ  
 mortuus, & Dositheus Metropolita Mo-  
 nembasiensis in Peloponneso. Post hos  
 sederunt suo quisque loco ceteri Metro-  
 politæ, Dorotheus Trapezuntinus; Metro-  
 phanes Cyzicenus; Bessarion Nicænus;  
 Macarius Nicomediensis; Dorotheus Mi-  
 tylenensis, Georgianorum Metropolita  
 cum quodam suo Episcopo, & alii quam *Collect. Conc.*  
 plurimi Antistites, qui subscripti reperiun- *P. Labb.*  
 tur ad calcem actorum Synodi. Ultimi *tom. 13. pag.*  
 sedebant officiales, & Ecclesiæ Constan- *1168. & seq.*  
 tinopolitanæ Ministri in dignitatibus con- *& p. 518. &*  
 stituti, Abbates, Presbyteri, & montis  
 sancti Monachi. Ad ima throni Impera-  
 toris

Sæcul. XV. toris Græci suo ordine disponebantur  
A.C. 1438. Trapezuntini Imperatoris, magni Moloviæ Ducis, Georgianorum Principis, Serviæ ac Walachiæ Despotarum oratores ac præcipui Imperatoris Ministri, quo inter doctrinæ laude ex Senatorum ordine claruerunt Gemistius Lacedæmonius Archyrophulus, & celeberrimus Schol-

*In Append.* rius, cuius Oratio, qua suos populares ad  
*Conc. Flor.* unionem adhortabatur, in actis Concilii  
*to. 13. p. 543* exstat. Ex utroque latere Patriarcham  
*& seq.* stipabant quinque Assistentes, seu Diaconi, qui cruciferi appellari solebant a Crucifixo, quam suis palliis intextam gestabant. Ex horum numero erat Sguropulus, qui nobis Concilii Florentini Acta reliquit. Denique omnes reliqui Ecclesiastici, Graecorum Episcoporum comites ex latere ipsis assignato inferiorem Ecclesiæ partem, sicut Latini ex opposita regione, occupabant.

### §. XCI.

#### *Synodus Latinorum cum Græcis inchoata.*

*Tom. 13.* Hæc omnia adeo solerter disposita fu-  
*Conc. gener.* re, ut brevi solemne initium Syno-  
*Labb. p. 907.* do daretur, quæ demum die nona Aprilis in Ecclesia Sancti Georgii inchoata est, unaque promulgatum, Synodum Oecumenicam nonnisi Ferrariæ celebrari, ac qua-